

miseriordia, aut ita misericordes, ut nullam exerceant justitiam: in Deo neque justitia sine misericordia summa, neque hæc sine illa.

4. Multi sapientes & eruditi sunt, sed pendent ab aliis & conditione servi sunt, aut exules, aut pauperes, ut sæpe sub sordido palliolo latet sapientia, multi contra divites insipientes: Deus simul & semel sapientissimus, independens, omniũ rerum Dominus, sibi & aliis omnibus sufficientissimus.

5. Porrò alia mens humana notitiã Theologicã, alia Physicã, alia Metaphysicã, alia Ethicã, alia Medicã, alia Juridicã &c. quodammodo inter nos homines excellit: Deus solus omnibus omnino scientiis excellit res omnes quàm maximè. Alius est hujus, alius illius rei possessor, alius Rex Galliæ, alius Hispaniæ &c. alius ovium, alius hominum pastor & custos: Deus omnia possidet, omnia regit & servat, rex regum & dominus dominantium.

6. Tanta perfectio est Dei simplicitas sive omnium perfectionum unitas, de qua sic Alcinous ex doctrina Platonica: *Idem Deus ipse, supremus, æternus, ineffabilis, se ipso perfectus, divinitas essentia, ratio, veritas, harmonia*

monia